

currere necessum sit, & ut subtracto concursu & cooperatione divina, nihil planè agere vel elicere queant.

§. 9. Ante verò quàm ad probationes pro affirmati-
va afferendas nos accingamus, duos scopulos maxime no-
xios, ad quos si pedem allidas, in perfundos errores te præ-
cipitem dabis, è medio tollendos esse, censemus. Quod
enim in proverbio aliàs celebratur: Dum vitant stulti vitia,
in contraria currunt; id ad præsens non malè applicaveris.
Sunt namque qui in excessu, sunt qui in defectu circa mate-
riam præsentem nimium quantum hallucinantur. In ex-
cessu crassum errorem errasse Arabes perhibentur ab
AVERROE IX. *Metaph. Comment. VII. Et lib. XII. Com-
ment. XVIII.* qui se ipsis nihil agentibus, DEUM in solidum
omnia, loquor de actionibus naturalibus operari, crasse
contendebant. Confer FRANCISC. MURC. *super l. 2.
Phys. Disp. 4. quest. 3.* ex laudato Averroë hæc citantem.
Idem error quoque communiter, impingitur Philoni ut &
Petro Aliacensi, qui Autores in eo erroris squalore hæsisse
existimantur, agentia creata nihil planè agere vel efficere,
sed omnes effectus, vulgò creaturis adscribi solitos, ab uno
& solo DEO proficisci, qui solus ad præsentiam causa-
rum secundarum omnia operetur, Creaturis nihil quic-
quam ad eosdem conferentibus verbi gr. dixerunt, ignem
non urere, neque aquam humectare, sed Deum potius ad re-
rum harum præsentiam hæc talia præstare.

§. 10. Argumenta & quidem palmaria quæ pro palli-
ando hoc errore afferri solent, cum forte non cuivis statim
obvia se sistant, paucis hic stringere non pigebit: (1.) pro
fundamento adduci solet tritum illud: Quæ fieri possunt
per pauca, non debent fieri per plura. Cum autem omnia
quæcunque fiunt, fieri facile possint solius Dei influenza
præter rationem Causarum secundarum operam in confor-
tium